

scriptoribus rerum Polonicarum *Iudicium Teutonicorum* mentione iniiciatur, scilicet qui causas litigantium secundum iura Teutonum dijudicauere. Sub iure Teutonico, quoties haec vox apud scriptores in hac dissertatione allegatos occurrit, non aliud nisi *ius Saxonicum* seu Magdeburgicum intelligi, ex promiscua harum vocum adhibitione probari potest. Usus iuris Saxonici tum temporis in Germania adeo communis fuit, ut DATT de pace imp. publ. L. 4. c. 1. n. 7. non immerito afferat, a seculo XII. ad XV. omnem Germaniam iure Saxonico et Suelico administratam fuisse. Confer. HARTKNOCH de republ. Polon. L. 2. c. 2. §. 5. Itaque aduentantes Germanorum coloniae non alia nisi iura Saxonica secum in Poloniā adducere potuere.

§. 13.

Iura Saxonica quemadmodum in Germaniae prouinciis iam dudum inualuere, anteaquam compilationes speculi Saxonici et iuris Weichbildici Magdeburgensis in publicum prodirent, ita etiam Polonis ea iam pridem antea innotuisse credo. Eo tempore autem, quo frequentes Germanorum coloniae, ut supra dictum est, in Poloniā transmigrabant, speculum Saxonīcum ab Epkone Repkovio, ut leges et consuetudines Saxonum antiquas ab interitu vindicaret, circa annum 1230. priuato studio collectum, iamiam prodierat; cui demum circa initium seculi XIV. ius Weichbildicum Magdeburgense accessit, quod COLERVUS in *Orat. de iur. Saxon. orig. et progr.* haud absque ratione speculi Saxonici epitomen vocat. Etenim ipse *Glossator ad Art. 1. iur. Weichb.* fatetur: ea, quae in speculo Saxonico nimis prolixe dicta fuerint, ibi saltem breuius, et quae in illo nimis concise, hic plenius paululum exposita esse. Posteaquam iura Saxonica in foris Poloniae introducta ibique recepta, et in decidendis causis adhibita sunt, inualuere etiam prouocationes seu appellatio-